

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solrendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquaque centimetro quadrato.

Cunctamittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

VARSAVIAE POLONORUM

Rakowskie Przedmiescie, 15

LONDON W.

28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS
AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis, Apost et S. Rituam Congr. Typogr.

NEW YORK

52, Barclay Street.

CINCINNATI

436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

S. Sedis Apost et S. Rituam Congr.

Typogr.

RATISBONAE IN BAVARIA

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

EX RUSSIA	D. Lascaris.
VICTOR HUGO	I. Antonelli.
QUIBUS IN DISCIPLINIS MULIERES EXERCERI POSSINT	G. P.
NOVAE STELAE CURSUS	M. Lani.
IN MARIAM VIRGINEM GENITRICEM DEI DESIGNATAM. ELEGIA	I. Bonavenia.
TERTULLIANAE: De coronarum usu apud Christianos	I. Marra.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE.	Fr. Xav. Reuss.
VITA FUNCTI VIRI CLARIORUM	I. F.
DE MICHAELANGELO CHIATELLINO	Subalpinus.
DE PATIENTISSIMO SINARUM POPULO	A. Costaggini.
SOCIORUM ANIMADVERSIONES	H.D.V. Pieralice.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO	H. P.
AENIGMATA	A. E. De Druffel.

In tertia operculi pagina:

VARIA: Mediceae volueres. - Morbis ex arthrite et rheumatismo remedium. - Solis radii in curando cancro. - Ioci

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

ROMA E

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

Salut. 35. Via della Pace

Print. mense. M. CMXII

COMMENTARI "VOX URBIS,,

SOCIIS ET LECTORIBUS

INT A N N U M M C M I I

PR
In Italia: L.
Lib. 15, M. 12

EX

QUADRIENNIO iam assueti, diebus hisce redeuntibus quotannis et facta respeximus, et facienda promisimus; illa ut ostenderemus nos religiose fidem servasse, haec ut iueundiora sociis nostris pollicieremur. Nullum quippe mortale opus est, quod ipso in exordio undeque perfectum sit atque expolitum, ipsaque signa Mironis, affabre quamvis conflata, polientis minima limae labore et mora indigebant.

Itaque commentario nostro unusquisque annus plura attulit emolumenta, sive amplificanda indicaret, sive minuenda ostenderet, sive nova inducenda suaderet, sive penitus exterminanda monstraret. Qua quidem in re magni fuit nobis opera sociorum, qui vel missis epistolis, vel communicatis ore consiliis, vel datis elucubrationibus undique gentium nonnulla emendarunt, plura auxerunt, plurima perfecerunt. Nos autem dociles gratique tantis viris laeti accipiebamus quae mittebantur, et morem gerebamus eruditis, quorum nominibus quasi totidem stellis commentarius noster coruseat, et, audientes dicto in meliora conantium, in meliora pariter nitbamur. Ita coniunctis viribus, factum est ut ex nostratis atque exteris nemo nobis erimen impegerit, quasi promissa dedissemus, quae non ad unguem praestitissimus.

Nunc itaque quae erunt futura perspicimus laeto animo tempora, praecepimus quasi indicantes callem, per quem proximo anno gradiemur. Meta quidem una est, inerementum latinitatis; quam tamen in metu, non una sternitur via. Nos neque superbe tenuisse magnis itineribus propositum finem, neque semitas creasse confitemur, contenti exiguo calle, quem ab ipso commentarii exordio inivimus. Cui quidem nec spinae, nec sentes defuerunt; sed propositi tenax animus, sed conscientia boni, sed gratia vestra, o socii, sed labor assiduus omnia viceunt, ita ut quasi e collis apice superata spatia respicientes, non quidem ab ipso condito commentario, sed ab iis, quae superioris anni initium signarunt, laetari liceat et fructus uberes, et iucundissimos visu flores percepisse una eum laude sapientum.

Enimvero elabente iam anno auctus est commentarius figuris, elucubrationibus, nitidioribus literarum notis; auctus non mediocriter scriptorum numerus, quos inter magno cum gaudio accensimus viros litterarum fama clarissimos. Accessit scriptorum centuria, quibus calidus iuventa sanguis fervet, et spes arridet, et est praesaga boni voluntas. Iamque hisce

sunt fortia bello
Pectora, sunt animi, promptaque ad fortia vires;

ac tempus erit, quo non inter triarios modo, sed et inter primipilos, dueisque versentur. Igitur spes magna arridet fore ut, hisce adeuntibus, et alios atque alios allicientibus, messis uberrima erescat, et vetus gloria latinitatis tandem aliquando revirescat.

Vos autem maxime, adolescentes, illud nefugiat, in litteris fieri, quod in aedificiis exstruendis quotidie videtis. Non unius opera, non uno lapide illa excitantur, sed coniunctione plurium; hi enim eaementa comportant, hi lapides, hi arenas, hi fontem, hi lateres, hi trabes, hi tigillo, dum illi saxa scalpis aptant, illi marmora secant, illi varia obeunt munera ut opus exsurgat ad solaria, ad teeta, ad crepidinum, ad fastigium. Ferat unusquisque vestrum quod potest, qui simul omnes omnia potestis; nam unusquisque suae regionis praestabilia novit, quae, si notarit communicabitque, coalescet opus, et commentarius noster, cui patent omnia litora regionesque omnes orbis terrarum, dominium gentium, quod latina lingua tenet, notitiis undique suscepitis, facile praferet ipso in incessu, et in fronte.

Quae igitur monumenta vel sub dio pateant, vel reperiantur effossa, quae industriis, negotiationibus, commerciis terra marique tententur, quae denique in omni genere usui hominum inventa sint, a singulis vobis expectamus, qui non mediocrem honorem apud omnes eritis adepturi ex restitura latinitate, in quam feliciter ineubustis, pelago ratem primi commitentes.

Atque haec pars auxilii est, quod flagitamus. Nam, si quid gratiae apud socios ac lectores labores nostri meruerunt, illud etiam vehementer petimus, ut qui nomina commentario dederunt, non ipsi modo in proposito content, sed suos inter amicos sociorum numerum quaerant. Impendia quippe enormia sunt, quibus pares non efficiemur, nisi societate multorum. His autem largienda futuro anno praemia, eademque more nostro munifica, proposuimus, quae sequuntur.

Compertum est paene omnibus, Florentiae aedificium esse fratrum Alinari proprium, in quo, artificio mirabili «photographica» plurima undique exquisita, exprimuntur. Nos iampridem ab eius officinae dominis libenter concessa usi facultate sumus referendi in imaginibus Commentarii quotquot ex opificio eorum tabulae placuisse; qua quidem potestate intra urbanitatem et non sine magna lectorum delectatione hactenus usi sumus. Hi autem Alinari fratres, qui tanta felicitate eiusmodi industria potiti sunt, per eamque, parta sibi singulari

scientia lucis, egregiam sui nominis famam undique gentium divulgarunt, experimentis plurimis patientissime adhibitis, tandem aliquando id sunt consecuti, quod ferme maximum in re videbatur, quomodo tabulis, imaginibus, locis, regionibus aptarent colores eosdem, quibus illa aut natura, aut arte essent praedita. Haec, visu sane mirabilia, Florentiae his diebus edidit apta officina, quam A. Pini moderatur, patentque metr. $0,30 \times 0,40$; quod autem super cetera movet est colorum vis, qua non squalentes apparent imagines, sed clarae, vivae, nitentes quasi e manibus egregii artificis prodierint recentissime. En autem tabularum indicem, quas nostris hisce oculis obstupescentes vidimus, quasque sociis comparaturi sumus:

- I. **Pallas Minerva.** — Tabula ALEXANDRI FILIPEPI (vulgo Botticelli). Est in regiis aedibus palatii Pitti, Florentiae.
- II. Tabula titulo **Madonnina** auctorem habens RUPERTUM FERRUZZI. In ostento Venetiis habito an. MDCCCXCVII celebratum hoc opus emit servatque Ioannes G. A. Leishman.
- III. **Maria Virgo Mater cum Divino Filio.** — Tabula CAROLI DOLCI, in regiis aedibus niandi bestis, laceris flammis, stant patres pernoctant ad ostium plexu liberorum excelsi ut extremum sibi liceat. Eequid a Spiritu Domini? Quis procedes ultra, nec a confringes tumentes?
- IV. **Magdalena.** — Eiusdem DOLCI tabula est in pinacoteca degli Uffizi, Florentiae.
- V. **Maria Iesum puerum adorans.** Effinxit ANTONIUS ALLEGRI (vulgo il Correggio). In eadem pinacoteca.
- VI. **Idem argumentum** quod tractavit PHILIPPUS LIPPI. Ibidem.

Habebunt ex his pulcherrimis «photoeromis» unam, prouti elegerint, singuli socii, qui, praeter suam subnotationem, recto tramite ad Aristidem Leonori equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem, Romanam, via Alessandrina, 87, persolutam missamque, novam subnotationem eum eiusdem pretio miserint. Quot autem erunt subnotatores novi, totidem photoeromias iuxta optionem accipiet qui ipsos procuravit. Qui vero novos subnotatores miserit duos, hic vel duas, quas maluerit, photoeromias eliget, vel tertiam sibi subnotationem nullo pretio.

Proposita haec dona, quae sociis futura grata confidimus, animos addant ad latinitatis causam tuendam, quae optimo cuique est causa humanitatis.

VOX URBIS.

«Spiritus ubi vici et nescis unde veni? Iulius Apostolus (1). mini, ibi libertas» runt in animum, sunt, meditantem, tem. Sperantem, sperantem; nam quae aquas primigenias cum) incenbaret, formicuit inde creati percontati sumus habebantem Spiritum libertatem pariter erumpentem. Fuit in Spiritus, et, excitat in libertatem Balthasar, Chaldae, niele, reddidit filiis libertatem; fuit autem chabeis, et, excitat et fratribus huius exqua privabantur. Me crudelissimorum? Et omnem carnem, et gnia Dei, filii et in vineulis detinenti, niandi bestis, laceris flammis, stant patres pernoctant ad ostium plexu liberorum excelsi ut extremum sibi liceat. Eequid a Spiritu Domini? Quis procedes ultra, nec a confringes tumentes?

Et iam in fronte cui inimici reges inspletianum, Iulianum testas eorum in mortuus est tenebrosum. Coartatatem ergastulis, aeris horrendis; at huius Spiritus, et fons iuxta Apocalypsim, quae coartabatur qui fidem coartabatur servitutem sunt redacti fumus tormentorum eccl

Quae eum ita et e sint, duplique, sicut rusecent, nemo mirabi

(1) IOANN., cap. III, v. 8.
(2) Ep. ad Cor. II, cap.

(3) Genes. c. 1.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 10 — Ubique extra italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

EX RUSSIA

«Spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis, et nescis unde veniat, et quo vadat». Ita Paulus Apostolus (1). Et idem: «Ubi Spiritus Domini, ibi libertas» (2). Haec memorem redierunt in animum, quae nuper de Russia relata sunt, meditantem, et optima quaeque sperantem. Sperantem, inquam, et gravi de causa sperantem; nam quem Spiritus Domini super aquas primigenias ferretur, et (iuxta Hebraicum) incubaret, foveret (3), pulcherrima rerum emicuit inde creatio ac dispositio. Tum notas percontati sumus historias, in iisque hunc incubantem Spiritum quoties perspeximus, toties libertatem pariter de sub alis eius invenimus erumpentem. Fuit in Aegypto super filii Israel Spiritus, et, excitato Moyse, vindicavit prodigiis in libertatem Hebraeos. Fuit in diebus Balthasar, Chaldaeorum regis, et, excitato Daniele, reddidit filii Israel una cum patria libertatem; fuit autem, Antiocho rege, cum Machabeis, et, excitato viro illo fortissimo Iuda, et fratribus huius excitatis, libertatem praestitit, qua privabantur. Memoremne saecula Caesarum crudelissimorum? Effusus est Spiritus Dei super omnem carnem, et prophetaverunt, loquunt magnalia Dei, filii et filiae gentium, et dum hi in vinculis detinentur plectendi eras ferro, laniandi bestiis, lacerandi flagellis, comburendi flammis, stant patres in limine, matres miserae pernoctant ad ostium careeris ab extremo complexu liberorum exclusae, quae nihil aliud orant nisi ut extremum filiorum spiritum excipere sibi liceat. Eiquid aestuas, pelagus, incubante Spiritu Domini? Quis Deo volenti resistet? Non procedes ultra, nec aestuabis amplius, et coram confringes tumentes fluctus tuos.

Et iam in fronte regum crux illa posita est, cui inimici reges insultaverunt. Neronem, Diocletianum, Iulianum frustra requires; perit potestas eorum in morte, et nomen eorum factum est tenebrosum. Coarctabant filiorum Dei libertatem ergastulis, aerumnis, cruciatibus, suppliis horrendis; at hi viceunt virtute supervenientis Spiritus, et foventis aquas; aquae enim, iuxta Apocalypsim, populi et gentes sunt. Hinc, quae coarctabatur fides, erupit in libertatem; qui fidem coarctabant in perpetuam poenarum servitutem sunt redacti, nam scriptum est: «Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula».



Quae cum ita et ex fide simul et ex historia sint, duplice, sicut facies Moysis, radio coruscant, nemo mirabitur nos magna exspectare,

(1) IOANN., cap. III, v. 8.

(2) Ep. ad Cor. II, cap. III, v. 17.

(3) Genes. c. I.

dum noseimus in illa ingenti Slavorum progenie, cuius caput centrumque Russia nostra est, Spiritum hunc Domini commovere alas, circumire, afflare, et filios gentis illius prophetare. Iam quid, et de quo prophetant? Brevi dicam. Constat homo corpore et spiritu; si desit hic, iam non homo, sed cadaver brevi in putredinem resolvendum; si desit illud, iam non homo pariter, sed anima nuda, humana circa potentiam, nam ad informandum corpus plasmata fuit; in re vero penitus non humana, nam corpore caret. Corpori, quod anima caret, corruptio et resolutio; animae autem, quae corpore orbetur proprio, solitudo quaedam quasi distracto socio, et taedium quoddam potentiae suae, sicuti est oculo in tenebris non videnti, sicuti est auribus nihil audientibus. Corpus res publica est, religio est reipublicae vita; sanctaeque illae fuere respublicae, quae sanctis religionibus virtutibusque floruerunt, diuque vigerunt, et insigne in historia nomen, exemplorumque famam posteris magna cum laude reliquerunt. Quod si religio corrupta in iis, aut a vera devians olim suscepta, mox obvenere vitia, corrupere multitudinem, eorū caputque reipublicae infecere occulta pernicie. Tunc ipsa religio, quae totam commovere rempublicam, deducere, provehere debuisse, facta «sicut equus et mulus, quibus non est intellectus», rerum publicarum currui vincis adstringitur, fraenoque suscepto, lorisque habenisque nexa illos trahit, quibus trahenda iure foret, ab illis movetur, quos movere, regere, ad Deum denique, ad virtutem et egregia facta debuisse adducere. Mutatis partibus, ancilla regnat in solio, regina servit in carcere. Quo igitur iure nolumus animam rapi voluntatibus cupiditatibusque corporeis, ne morem huic gerens in damna ruat utriusque tetricima, sic religioni, ne simul ipsa pereat, numquam respublica principabitur; itaque religio non a republica leges accipiet, sed reipublicae dabit; et veritatem tuebitur divinam, non voluntatem dominationis humanae. Veritati autem religionis, in obscurum fidei obtemperabit rex et respublica, iussis praecoptisque morum oboedient cives et rex, eo feliciores quo oboedientiores, eo grandiores coram hominibus, quo coram Dei religione humiliores. Qui ergo gladium portat, non sine causa gladium portat; non est enim potestas nisi a Deo; sed illud habendum prae oculis quod Verbum Dei caro factum venit in homines, ut quemadmodum ipse fecit ita et nos faceremus. Evangelica Ioannis verba sequor. At enim, nisi huic, loquutus est Pater dieens: «Accingere gladio tuo super fematum, potentissime?» Et de quoniam, nisi de hoc, loquutus est Pater dieens: «Hic est filius

meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipsum audite?» Qui ergo accinctus gladio omnipotentiae divinae cogere populos poterat ad legem suscipiendam suam, exemplum tantummodo reliquit praedicationis, et beneficiorum; praeteribat enim beneficiando et sanando omnes, et annuntians regnum Dei in omni patientia et doctrina. Constituta denique Ecclesia haerede thesaurorum suorum, ipsi munus eredit persequendi et prosequendi opus ingens redemptionis, ut in ovile plenitudo gentium intraret, et fieret unum ovile et unus pastor. Mittuntur Apostoli sicut agni in medio luporum, non sicut lupi inter agnos; mittuntur passuri, non daturi martyrium.



Iamque hisce verbis permoti praestantes ingenio ac doctrina viri Russas inter gentes, Stachoviche signifer patricius Orel, et Tcherkassi presbyter ortodoxiae Russae in ephemerede, cui titulus *S. Petersbourgskia Wiedomost*, pulchra et magna ediderunt, quibus ostenderent, historia tercentis et sexaginta et sex annis perhibente testimonium, persecutionem religionis initiam causa nihil profecisse, et hoc unum constare quod centum ac duodeviginti novae sectae germinaverint, quas nec poenalis horrores careeris, nec flagella, nec minae, nec bonorum publicationes et exsilia compescuerint, ac prohibuerint. Hinc libertas religionis tenendae singulis restituenda, idque si Ecclesia a reipublicae imperiis dividatur. Sua habet arma, atque iis utatur, et more Christi utatur, victoria ac dilecta si libera, perfusa sanguine et perosa si armata cruciatibus. Nec vincere posse speret, — prosequitur Tcherkassi —; nam ecclesia dominans dilaniatur et subvertitur rebellionibus, quibus dividitur, furore quo instat armata manu, hypocrisi et simulatione, qua civilis principatus gratias sibi comparare student qui nequiores, odio civili, mendacio, ac de die in dies debilior efficitur. Quapropter Vladimirus Soloviev causam defectionis et corruptionis perspiciens aiebat: Numquid, quae dolemus, inde non sunt quasi poena debita nobis, qui manu sacra lega ecclesiam Dei civili dominationi servam fecimus, compedibus adstrinximus? Hinc Georgius Moszynki, nobili comiti Petro Golenitschev-Koutonsov scribens, cavendum dicit ne res labantur in peius, data hostibus occasione nocendi: «Libertas conscientiae, libertas religionis iam est in ianuis, et fatalis et irrecusabilis Russiam ingreditur. Probi itaque omnes foedus ineant, et prospiciant ne, cum dies ad venerit, Russa gens in manus Hebraeorum incidat, aut "massonicorum", aut "atheorum". Auctoritas huius foederis in quo studium ve-

inis famam un-
perimentis plu-
dem aliquando
maximum in re
aginibus, locis,
em, quibus illa
ita. Haec, visu
bus edidit apta
tut, patentque
a super cetera
squallentes ap-
vivae, nitentes
s prodierint re-
in indicem, quas
s ydimus, quas-

ALEXANDRI Fi-
t in regiis aedi-
e.

uetorem habens
stentu Venetiis
celebratum hoc
G. A. Leishman.

Divino Filiolo.
regiis aedibus

OLCI tabula est
, Florentiae.
rans. Effixit
Correggio). In

tractavit Phi-

nis «photocro-
guli socii, qui,
to tramite ad
mentarii VOX
tratorem, Ro-
utam missam-
iusdem pretio
otatores novi,
onem accipiet
os subnotato-
ras maluerit,
bi subnotatio-

futura grata
titatis causam
causa huma-

X URBIS.

ritatis, amor iustitiae, tuendi ordinis cura, servabit Russiam sequens crucem, quae una signum et emblema et vexillum est veritatis».

Quod quidem iter Providentia iam sibi gentibusque consternit, ut liberius tutiusque procedant; nam inter Polonos ac Russos non modo deferbuerunt irae, sed iam in commune bonum inita concordia, una Russis et Austriacis protestatibus faventibus et conspirantibus, est et qui dicat «afflantibus». Iam Golenitschev-Koutonsov haec et praesentit, et offert: «Quidquid Slavonice gentis est amicitiae et foederi inter Polonos et Russos innitatur necesse est...., nec in orbe christiano potest esse contra "materialismum universalem et internationalem, pugna et victoria, nisi duae illae maxima penitusque Christianae ecclesiae, dogmaticae, et evangelicae inter se foedus faciant, mutuasque dent invicem dextras, conciliata pace, nempe Romana ecclesia et Graeca "orthodoxa", hoc est Russa.... Slavis gentibus Providentia divina eredit sua iura et leges et libertatem totius orientalis Europae ab Uralibus et Caucaso ad Alpes Dinaricas, et Aegaeum; at faciendi munus Russis Polonisque relictum, quo civilem libertatem et religiosam sibi ceterisque populis tueantur, Russia et Austria cooperantibus simul». Hisce addit Moszynski: «Foedus inter Polonos et Russos, coniunctio utriusque Ecclesiae, Graecae scilicet ac Romanae, foedus perpetuum et fidum inter Austriam et Russiam, mentis et cordis mei direxerunt oculos, ut hoc ingens perspicierem, cui confido». Haec ille; nec aliquid addam.

Hanc enim salubrem auram pervagari in Russia quis neget? At illud est maximum, quod ipsius halitu viri amplissimi afflentur. Caput autem rei omnis est religionis libertas, quam vulgo nunc dieunt «libertatem conscientiae». Maxima mihi speranda sunt; nam hoc sanctae studium libertatis commorantem hic indicat Spiritum Domini, indicat creationem novam ex virtute Illius, qui potest ex lapidibus suscitare filios Abrahae, indicat imperium Christi maximopere amplificandum, indicat Russiam denique adeo secundis in Asia fuisse usam ac ditatam rebus, ut barbaris et ethnicis populis fieret brevi nuncia et praeco catholicae veritatis.

D. LASCARIS.

VICTOR HUGO.

QUARTO kalendas Martias, Galli, Itali, Belgae, ipsique Graeci centenariam diem solemniter commemorarunt, ex quo in Aquitanis Victor Hugo poeta natus est. Ut enim, oriente hoc novo saeculo, Leo Tolstoi princeps fortis poetarum censemur esse superstes, ita et ille, licet permultis lacesseretur odiis iam cum vivebat et post mortem, maximus habitus est poeta, quem exactum aevum viderit.

Iamque ipsa aetate sua longissima Hugo saeculum paene adaequavit: ortum enim eum vidisset decimi noni saeculi anno secundo, octogesimo eius et quinto multa senecta decessit. Neque tamen consenuit umquam ingenio aut vi-

ribus corporis eum dilaberentur dies; at quadam semper viridi animo iuventa florere est visus ut laurea serta virebant, quibus tempora cinxerat. Non aliter et hodie Russus ille atavus annorum laborumque plenus, morbo ingruente invictus adhuc digladiatur.

Haec tamen haud est una similitudo, qua uterque poeta devineatur, sed et animi magnitudine, et corporis virtute, et artis suae genere; et quodam quasi titanicus habitu in vita vivenda, in gerendis rebus scribendisque conveniunt. At simul dissimiles maxime quantum eorum gentium origines distant, tantum alias ab alio prorsus seiungitur, prouti suarum civitatum, ubi vitam duxerunt, absone e diametro fata properarunt.

Exstitit enim Hugo ille, neque alio profeeto nomine iure donari oportuit, Gallicae maxima seditionis tamquam natus simul et vates: hic contra, supremis hisce annis, apostolatum quendam amplexatus est litterarum, ita ut augur potius atque aruspex novorum dierum esse videatur. Uterque vero, idque dicendum statim, fallaci sponsione decepti, quippe qui, superbia forte, aut gentilicia, vel familiari fortuna, a catholicae sententiae fontibus longe vagantes suam inierint viam. Meta Hugo praeluebat arripienda totis humani generis viribus progressus, in quem universa gentium multitudo exactum per saeculum conata est: praeluebat Tolstoi contraria prorsus, delenda, aut saltem moranda, proiecta nimis humanitas tanta qua angimur, qua dividimur, qua opprimimur, aliisque in alios infensi reddimur. Aegri somnia hinc et inde! At vasta ferme somnia vasto ingenio consona, quae poetis maximis tantum digna sint, giganteis humeris apta conamina!

Et Titani quidem titulo a discipulis pariter atque ab aemulis consulutatus est Victor, quem obtinuit merito et corporis et animi vi. Titanos referebat ipso habitu oris, fulvo oculo, densa barba hirtoque capillo, denique corporis viribus, Iersey in insula cum degeneret exsul, annos natus iam quinquaginta, diu quotidie per litus deambulat, bisque in die in mari innat: viginti post annos Lutetiam redux civibus tuentibus armis moenia urbis operam suam confert praevalidam: mox, octagesimum annum iam dimidit, alterum maximi sui poematis librum *Légende des siècles* edit in lucem.

Operam poetae universam haud quidem est brevi sermone repetere: iam enim puerum conditentem carmina audiunt stupentes literatorum patrii coetus; audit Chateaubriand, qui sublimem eum appellat (*enfant sublimé*). Lyrica carmina deinde plurima vulgavit, dramata decem, milesias fabulas sex, quarum una, quam *Miserables* titulo inserpsit, ea est quidem, ut non unius tantum hominis ingenio et calamo, sed quasi a legione scriptorum congesta videatur. Profeeto si illum, uti nunc Homerum, antiquitatis summae caligines obruissent, quo meliori iure non de uno Victore, sed de multis simul fabulantibus seu rapsodis in unum collatis ob tantae molis librum disputaremus! In quo scribendo viginti fere annos consumpsit, ab anno MDCCXLIV ad LXII; atque eum edidit suam patriam viderat tribus iam seditionibus concussam funditus a. MDCCXXX, XLVIII, LII. Viderat Ludovicum Philippum re-

gem ad solium evectum, deiectam deinde atque instauratam Lutetiae libertatem, mox libertatem a tertio Napoleone, seu, ut ille dixit, «a parvo Napoleone» rursus oppressam. Horum eventuum testis auctor libro suo saeculi vices quasi comitatur integras, a Waterloo elade ad restitutam anno MDCCXLVIII rempublicam. Mendis quidem paene infinitis secatere librum hand quisquam inficiabitur, at dabit viceissim insolitis gemmis esse refertum.

Ea enim fuit auctoris propria natura, copiosa, facunda, impatiens regularum atque normae, unius avida libertatis, summo pulchritudinis bonique studio incensa, et poetico flamme indesinenter fere perfusa et, paene dicam, aliquando ebria. Nimus enim in omnibus vir ille, atque inde eius pariter ortos defectus deprehenderis: copiam verborum persaepe inanem, insolitum translati verbi ausum, antithesis studium assiduum et passim et ultra artificium quaesitum, immanes interdum atque dissitos eventus, cogitationes, machinas in unum coniuncta; horridum plane monstrum, quod si Horatianis regulis dimetitus fueris, amentis quasi operam dixeris.

Eccum exstitit tamen poeta Gallorum summus et sui aevi pariter inter maximos? Exstitit quia divinum aliquid, eum maximus exsurgit vates, lumen ei conceditur atque flamma divina. Cum haec flagrat, inopinata hactenus facie totius creationis adspectus praefulgent; rhetorum regulae iam ad novum opus amplexandum inanes impotesque cadunt.

Indigestam molem *Misérables* cum dixeris, non facies tamen ut nonnullae eius partes, ut Miriel episcopi vita, ut ad Waterloo pugna, pulchritudine ante non aequata minus praelueant; neque ullus iam epicus poeta tam alto cantu Napoleonis supremum occasum umquam eecinit, Homero et Virgilio haud sane indignum argumentum.

Idem senseris de summo geminoque eius libro, gravissima, uti diximus, senectute confecto, quem *Légende des siècles* appellavit, quo quidem ab obscuris fabulis antiquissimis ad sua tempora humanae servitutis historiam repetit, numerans aquilae impetu libertatis triumphos, quoque tandem murus miseriarum corruit.

Sunt epica quidem in libro carmina, uti *Les Dieux et les géants* et *Les sept merveilles du monde*; sunt et suavissima quoque, uti illud *Petit Paul* inscriptum; sunt et bellica, uti *La chanson du Cid* et *Le cimetière d'Eylau*, quae ad Waterloo illam pugnam veritate et sonitu aemulantur. Omnia vero magna quidem, et ampla, et quasi propheticus nonnumquam afflato conscripta. Prophetam enim Vietorem salutarunt Gallicae libertatis discipuli, qui nullum plane maiorem arbitrati sunt exstisso praecomenum novarum rerum, quas abacti saeculi seditione illa maxima peperit.

Christiani nos contra lugemus maxime valorem, qui si prophetavit interdum quae saeculum, effraena lege concitum, esset facturum, haud quidem christiana virtute commotus effect, sed una ingenii vi maxima, quam tamen supremum donum a Deo accepit: quid si nostrae Fidei adhaesisset?

Superbia enim elatus est sui ingenii paene incredibili, qua et aemulos et carpentes et con-

tradientes o
ommem impe
professus est
mente quasi e
in pantheism
sui ipsius ani
lius, non dub
fere carmina

Uti vero fui
turens atque b
lum tenellis a
quens paravit.
maximus tum a
porum est co
lito quo polle
palum maxim
venerabatur, i
tutum Homeru
venalem satyr
his Alighieri
speare extrem
si alicubi ext
dine animi at
addi posse ne
deos, ut Aligh
Hugo simil h
nere nisus est.
que tanta p
deceptos popule
atque poenite
Christum?

QUIBUS
MULIERE

INDUBIUM ess
rerum natura
bre corpus quo
quibus si subi
tasse citius opin
Non certe med
eat tamen sun
lamo de re, qua
perspiciantur q
dentur, vel vere
conformatio
serum, ipsa n
ditur iter, quo
ab itinere, quo
Vir nascitur ad
ad oboedientian
in ista gratia; i
ambulatoria vol
haec debilitas et f
mater sit, filios
pulchri sint, qu
unum patri que
praestent domi
scant; denique
requiritur, cons
laudatur; postre
negotiosus, open
per nundinas, p
quotidie versetu
rem domestican
quo se minus i
Viros comparan

deinde atque
nox libertatem
xit, « a parvo
Horum even-
ti vices quasi
lade ad resti-
publicam. Men-
e librum hand
issim insolitus

a natura, co-
um atque nor-
mo pulchritu-
poetico flamine
ne dicam, ali-
anibus vir ille,
etus deprehen-
e inanem, in-
nuptithesis stu-
tra artificium
atque dissitos
unum coniun-
quod si Hor-
amentis quasi

orum summus
nos? Exstitit
ximus exsur-
atque flamma
mata haecenus
praefulgent;
opus ample-
tum.

eum dixeris,
ius partes, ut
o pugna, pul-
s praeluceant;
m alto cantu
quam cecinit,
dignum argu-

oque eius li-
tute confecto,
quo quidem
sua tempora
it, numerans
os, quoisque

carmina, uti
pt merveilles
que, uti illud
bellica, uti
ère d'Eylau,
veritate et
gna quidem,
numquam af-
Victorem sa-
, qui nullum
isse praecor-
eculi seditio

maxime va-
e saeculum,
urum, haud
s efficit, sed
n supremum
ostrae Fidei
ii paene in-
tes et con-

tradicentes obruit contumeliis, et auctoritatem omnem imperiumque odio habuit. Religionem professus est vagam, incertam, et Deum sua mente quasi effectum adoravit, quandoque etiam in pantheismum incidisse est visus. Atqui, si sui ipsius animi elationem compescisset virilis, non dubito quin Alighiero nostro digna fere carmina fuisse condituras!

Uti vero fuit, licet castus semper, saepe tamen furens atque blasphemus in Ecclesiam Dei, malum tenellis animis venenum ornato vase frequens paravit. Magnum opus tamen, quod eum maximis tum antiquitatis, tum recentiorum temporum est comparandum. Iamque ille, insolito quo pollebat ingenio, sacrum quasi manipulum maximorum poetarum ex omni aetate venerabatur, in vertice totius Parnassi constitutum Homerum, Iob, Isaiam, Hyeremiam, Iuvenalem satyrici regem carminis, unaque cum his Aligherium, mox Cervantes atque Shakespeare extrelos addit. Atqui horum Pantheon, si alicubi exstet, sive varietate, sive magnitudine animi atque laboris, Victorem ipsum iure addi posse nemo neget. Uti Homerus veteres deos, ut Aligherius catholicam fidem, extremus Hugo simili liatu recentiorem libertatem canere misus est. Mox vero, cum vanae plerunque tantae promissionis spes evaserint, quis deceptos populos, passimque sui erroris conscos atque poenitentes, pari tubae sonitu reducet ad Christum?

I. ANTONELLI.

QUIBUS IN DISCIPLINIS MULIERES EXERCERI POSSUNT.

INDUBIUM esse omnibus existimo, quippe in rerum natura positum et constitutum, muliere corpus quorundam impatiens laborum esse, quibus si subiiciatur etsi voluntarium, luet, fortasse citius opinato, poenas temerarii conaminis. Non certe medicae heie disquisitioni locus; licet tamen summo saltem libare et festino calamo de re, quae dicenda coram putamus, ut ea perspiciantur quae vel silentio praeterunda videntur, vel verecunde tacenda arbitramur. Ipsa conformatio membrorum, ipsa dispositione viscerum, ipsa nervorum compagine satis ostenditur iter, quod natura terendum feminae dedit, ab itinere, quod viro decrevit, longe diversum. Vir nascitur ad laborem, ad imperium; femina ad oboedientiam et amorem; in illo auctoritas, in ista gratia; in illo tenax propositi mens, in hac ambulatoria voluntas; in illo vis, et animus, in hac debilitas et facilis timor; unum, feminae quod mater sit, filios laetet, lallet, blandiatur, quod pulchri sint, quod formosi monstrarentur dito; unum patri quod valeant, quod possint, quod praestent domi militiaeque, quod opibus crecent; denique suavitas in viro, et benevolentia requiritur, consilium vero et gravitas in femina laudatur; postremo illi decus et nomen est si negotiosus, operosus, argumentosus per plateas, per nundinas, per agros in conspectu gentium quotidie versetur, huic si domissa, si paream domesticam gerat eo commendata magis, quo se minus in vulgum frequens ostenderit. Viros comparamus quercubus late in caelum

porrigentibus ramos, mulieres violis humilibus, quae suaveolentes in sepibus delitescunt.

Ex hisce patet quibus, non repugnante habitu, non invita natura, disciplinis imbuvi mulieres possint. Omnis proinde ars, disciplinaque omnis absit, quae cum maternitatis officio, cum soliditate feminine virium, cum infirmitatibus, quibus obnoxia a pubertate est, conciliari non possint. Absint ergo labores assidui, quibus lignarii, ferrarii fabri, et fodinarii opus exhibent quotidianum, perpetuum, perenne. Absint et illae disciplinae, quibus feminea vestimenta non bene aptantur, quaeque mulieribus non electio, sed necessitas dedit. Numquid architectus erit mulier per sealas, ac tabulata suspensa, vestibus implicata....? An eas abiiciet, et virili habitu contemnda procedet? Quid si nupta maternitati iam proxima? Quid si mater, lactentis filii, et vagientis cogitatione turbata? Arida ne feret mathematicae praeepta, quae per iueandas rapitur phantasiae regiones? Atqui vix unam et alteram mathematicam habemus mulierem, qui vix unum et alterum ex viris habemus linteis acu pingendis intentum. Singularia sunt haec individuo, non sexui communia; ideoque inter exceptions et monstra, non inter normas et leges ponenda.

Veniant modo pictoriae artes, veniunt sculptoriae. Si res in pingendis tantummodo tabulis contrahatur, non video quid obsit. Circa sculptoram artem, aliud est fingere statuam, aliud marmorarii opere fungi. Illam non nego mulieri, hanc laboriosam et gravem omnino nego.

Atqui, — dicit aliquis, — nonne rusticae feminae in agris, in vicis una cum patribus, cum conjugibus, cum fratribus terram rastris exercent atque lagonibus? Exercent quidem, sed hoc interdum; quinimo et vidi arantes, et vidi metentes. At brevi; nam squalent, nam languent ubi his admoverint nuptae manus, quin etiam et ipsis in adolescentulis rarae huiusmodi sunt. Infirmitates, mortesque sequuntur. Quod igitur natura capite pletit, illudne tentandum, optandum? Propterea gravioribus laboribus exclusis atque reiectis, iis praesertim, qui maternitati, qui proli directe omnino, vel minus indirecte opponuntur, ea restant examine tentanda, quae caput quodammodo quaestio habent; utrum scilicet femina perorantis causis, iuribus dicendis, chirurgiae, medicinae, et similibus dare se possit, ut inde luerum sibi, familiae, viro comparetur.

Ego, sicuti voluntas acquiescendi sententiae meae, quam ego bonam credo, non tamen optimam profero, gravioribus de causis ultro concedo feminae medicinam et chirurgiam exercendas, tum quia, uti dixi, materna piissimaeque et miserenti feminarum indoli hae disciplinae, quibus aegra et affecta dolore corpora recreantur, apprime respondent; tum quia delicatissimae mulieri in vulneribus tractandis sunt manus, sunt blanda verba, sunt ineffabiles modi, quos sentit anima, calamus autem nequit exprimere.

Sumus ergo ne concordes circa mulieres viro aequandas in medicis et chirurgicis disciplinis? Minime gentium. Nam video pueros et adolescentes his, quae sunt nunc studiis, circa plurima supervacanea distineri ac distrahi, quae nihil cum chirurgia, nihil cum medicina com-

mune habent. Ut quid perditio haec? Graece scire, pulchrum; mathematicae cognoscere, egregium; astronomica serutari, iucundum; philosophica delibare — (parcite vera non occultanti) — opus periculosa plenum aleae.... Iamque ita procedite per historias antiquorum temporum, per geographiam Babilonensis imperii, imperii Alexandri Magni, Romanorum, Barbarorum, Turcarum.... Quaeso, quid est inter hanc geographiam et enteritem morbum, inter illas historias et trichophytum tonsurantem? Quae igitur feminei intellectus aciem consumunt, obtundunt, supervacaneis onerant erepundiis, resecantur. Futura medica in medica tantum incumbat; si, peracto cursu disciplinarum, ea voluerit quae ad ornatum, quae ad cultioris animi decus sunt, facile poterit comparare; manifestum experientia quippe est desi triennio in adolescentia facilis. quae decennio in pueritia aegre discuntur. Plurimis tot rerum sarcinae, quibus et pueri et adolescentes gravantur in scholis, minime placent, et illud retrahunt experientia et vetustate commendatum proverbium:

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

Atqui si hoc iniquum pueris, quanto magis puellis, in quibus delicatum ac debilius viro corpus? Itaque affirmo: Ad institutas feminas singulare totumque illis proprium aptatumque constituantur gymnasium atque athenaeum, ex quo otiosis, quippe ad medicinam et chirurgiam quae non sint, abiectis disciplinis, eae tantum tradantur, quae directe fuerint ad propositam rem adipiscendam; tum praxi multa confirmantur quae didicerunt; et habebimus medicas excellentes, eritque id aegrotantium magno solatio, et magno proventu.

G. P.

NOVAE STELLAE CURSUS.

SUPERIORE anno, mense procedente Februario, novum in sidere, cui nomen a Perseo, astrum repertum est subita luce coruscans, qua patuit. Quae quidem tanta visa est, ut non emicare sed conflagrare prorsus quamplurimi astronomi indicaverint; neque nos rem silentio praeterivimus, ac de « perituri sideris incendio » seripsimus in hoc commentario, secundum ea, quae ab eruditis in re viris tradebantur.

Haec insuper modo redduntur. Astro huic nomen inditum, quo distinguatur a reliquis, et « Stella Nova » appellatur. Adeo praecipi cursu fertur, ut singulis momentis secundis tercenta chilometrorum millia abiens a Persei reliquis astris conficiat, eadem scilicet, qua lux, perniciitate ruens. Quum autem Persei sidus a nobis absit quantum spatii quinque et quadraginta annis lux peragrat, quae nobis apparent ibi praesentia iam inde quadraginta et quinque abhinc annis fiebant. Quaenam erit Novae Stellae huius meta? Creata recens nunc est, an alio de sidere inopinato lapsu peregrina deve nit? Intendunt aciem oculorum per telescopia astronomi, et rem solliciti sequuntur; nam quamplurima caeli arcana ex huius bene scrutatis viis, legibus, exordiis et exitu revelanda et perspicienda sperantur.

M. LANI.

IN MARIAM VIRGINEM GENITRICEM DEI DESIGNATAM.

ELEGIA.

Quo volat? oh! alis Gabriel atque ore videtur!
Quo pulcher Genius penniger ille volat?
Nazareth en recta rapidus petit, ut prope nostrum
Iam libertatis nuntiet esse diem.
Sola ibi, clausa domi Virgo expectansque superne
Auctorem ritae, vota precesque dabat:
« Aeterni colles, utinam! caelo aura sereno
Spiret, et in terras rorida gutta cadat!
Oh! Flos nascatur tandem de millibus unus,
Surgat Sol, et Fons defluat irriguus. »
Talia fundebat sancto secreta recessu,
Ardens, suspirans multaque corde gemens.
Ecce autem subito terrestres discutit umbras
Nuncius, et clara in luce videndum adest:
Mi Virgo, ne inopina pares! Demissio namque,
Illa tui virtus pectoris, arma capit.
Ah! cave contendat, nec munera tanta recuset:
Sin, mundi periit spes, periitque salus.
Auribus illud ut hausit « Ave » Virguncula nostra,
Quod secum tantae rem gravitatis habet;
Ipsum namque agitur fore matrem hominis Dei
[que,
Innuat; idque unum, res sit ut acta, sat est;
Multo morens animo, diversoque intus amore
Incita, nunc pallet nunc simul ore rubet.
Ipsaque sese et consultit, et sese ipsa refutat,
Millia sequi rogans vultque negatque sibi.
Qualis mane nora ad litus se conchila pandit,
Exspectans donec candida stilla pluat;
At si turbetur caelum, se contrahit, et iam
Suspecta intrabit guttula nulla simum;
Talis agit secum, dubio turbante, Maria,
Num mater, num sit virgo futura simul.
Parque pari referens sic dimicat, ut prope fessus
Causa decedat nuncius ancipi. *Eia agedum cineri, Anna, tuo iam redde calorem,*
Ah! nimis obsistit nunc tua nata, riden.
Ergo veni, propora, maternoque utere iussu:
Ni facis, aeternus iam tibi Limbus erit.
Ast aeterna Themis gladium capulo tenet, et te
Scrutatur fixis, magna Virago, oculis.
Aut cede, aut cernes rorans iam sanguine ferrum
Urbibus atque agris undique circumagi.
Ah! per quae tibi dona parat caelum, atque per illam
Ingentem spem, quam parva puella dabus;
Quasque per et lacrimas tot saeclis fudit Adamus,
Perque Abrahae natos, quot fovet ille sinu;
Ah! tua pulcra inter sine nomina et illud, ut orbis
Te dulci matris nomine deinde vocet.
Dum tamen ista precor, decerat Virgo, nec artes
Abigeri quidquam longare dicta valent.
Omnis, at occulte, virtus lateri adstat, et omnis
Gratia, quaeque tamen cogitat atque silet.
Qualis, si nebula sol interceptus aprilis,
Protulit alternis oculuitre caput;
Laetitiamve suis suspendit floribus hortus,
Fronte minus nitidis solis ad arbitrium;
Sic illae: discors dum stat sententia menti,
Secumque haec atiens murmurat, illa negans.
Tum dirinus Amor supremus ab sede Mariam
Ipse adit, et pulsans leniter ante fores:
« Tu mihi non aperis, - inquit -, mea sponsa, potentis
Corde vel invito frangere claustra tuo? »
Illeasum penetrat radii lux pervia vitrum,
Purior et noster transitus esse nequit? »
Ad sonitum vocis casto suffunditur ostro,
Seque suo strophio pressius illa tegit.
Pronum demittit vultum, atque ad pectora palmas
Decussans, tales edit ab ore sonos:
« En Domini ancillam; sancto quod Numine iussum
[est
De me celsa super sidera; fiat humi. »
Dixerat, et rapidis sublatis nuncius alis,
In caelum remeans candida verba refert.
Aeternas Verbum sedes et gaudia liquit,
Eque sinu Patris nobile carpsit iter.

Carpit iter, posuitque novo vestigia calle,
Qua nondum Nomen presserat ante pedem.
Difficilemque viam permensus, et Virginis alvo
Exceptum, miro degit in hospitio.
Hic lucem moderans maiestatemque paternam,
A Matre acceptas induit exurias.
Belzebub, eia! caput tutare ictumque caveto!
In crastam tali fulmen ab arce venit.
Illud cum grande intonuit per tartara « Fiat »
Quantus in infernis terror ubique fuit!
Tum furor invadit rabiesque: aeterna dolentes
Per loca discurrunt desipintque greges.
Pars alapas duplicat, vellit pars altera caudas,
Cornua pars frangit, pars labra dente ferit.
Omnibus et linguis in caelum iuraria iactant,
Et graece strident hebraiceque ululant.
Expuit ille focum, hic frenet ringitque: maligna
Rex stygius febri denique corripitur.
Oh! salve mihi Diva! Parens! te namque sequestra,
Quam natura alto nobilitata gradu est!
Excelsa o Virgo, veniae per te Eva recepit
Auctorem: oh! solve tempus in omne mihi!
Adventans nempe ille per aera nuncius ales
Est visus plenam ferre bonam veniam.
Sulcus adhuc clarusque nitet per sidera fulgor,
In caelum redditus signa relicta sui.
Mille ibi per voces, mille et modulamina vocum
Sexcentis canitur pulera Maria choris.
Terque ibi quinque dies per agros per amoena vireta
Grande illud « Fiat » iugiter insonuit.
Ut si suspensam teneat moderator in altum
Dextram; ab ea pendens musica tota silet;
Mox illa rursum invitante modumque regente,
Una omnes laeti concrepure chori;
Haud aliter stetit inter spem natura metumque,
Collegit sese mutaque conticuit.
Ast ubi primum illud prolatum a Virgine « Fiat »
Gestit immensam prodere laetitiam.
Sol numquam fulsit cunctis ornati horis,
Sparsit et in toto ditior orbe rosas.
Non alias tanto micuerunt lumine gemmae,
Aut plures gemmas litoris ora tulit.
Non alias visi Iudea per arva nitere
Flores, tot picti vestibus atque notis.
Laetus aut in fluctibus insanire marinis
Delphines saltu, lusibus et choreis.
Laetus haud umquam exiluere e fontibus undae,
Crispatum dedit gutture carmen avis.
Interea Mater sublimia mente volutans,
Magnaque secreti dona ministerii;
Ac reluti supra se rapta libravitibus alis
VERBO accepta refert munera et omne decus.
Oh! quis culminibus, quali super ordine sese
Mirifice erectam pulera Maria videt!
Oh! quanto inferius quaevis nunc femina distat,
Sint licet innumerae quas quis in orbe stupet.
Aspice quot Diram circumstent undique gentes,
Quot Dominam claro regna sonore vocent!
Quaeque ignota ipsis vota futura polis!
Quot variis ornata modis, seu marmore sculpta,
Seu picta in tabulis, caelica forma nitet!
Illa gubernatrix medias fert vela per undas,
Illa acies inter fulgurat armipotens.
Hac duce, Pizarrus Cortesque triumphat ad Indos,
Aureoque in curru gaudet uterque vehi.
Karolus hanc sequitur, praecepsque in praelia fer-
tur,
Turcarumque acies dissipat Eugenius.
Eugenius nulli victus, qui vineta catenis
Mancipat et Thracis effera fata trahit.
Verum prae cunctis templorum spectat honorem,
Laetaque contemplans plus sibi Virgo placet.
Matris iam obtutu Caravagi moenia quaerens,
Obligat aeternam dulciter illa fidem.
Iamque Orropaei tenet alta cacumina montis,
Unde subalpinum fronte serenat agrum.

Qua Tagus et Rhenus, qua Sequana defluit; aedes
Iam sibi iam caras innuit illa suas.
Iam nunc Serrati rupem diffindere Montis,
Et Guadalupae cernere tecta iuvat.
At tu litoribus te velle, Maria, rideris
His Italis nostris credere amabilius.
O pulcram Italianam! Picenas arctius oras
Iunge tibi et pleno cordis amore fove.
Illic Virgo suas sibi caras Nazareth aedes,
Scilicet arvulam transferet ipsa domum.
Damnatum Iudea solum tellusque superba,
Non haec servantur tam sacra tecta tibi.
Vosque, o Dalmatici tractus, vos longior ornat
Huius amor sanctae, quam mora longa domus.
Circumit en Regina, et nobilis hospitis instar,
Quae sat iam cursus satque laboris habet;
Aequora transmittens placidum super aera, sistet
Laureti: id longae meta quiesque viae.
Illic opperens, se in vota precesque vocari
Audiet: has voces orbis uteque dabit.
Tum mare prospiciens tum terras, arbitra bellum
Nutibus illa suis, arbitra pacis evit.
Quis oh! muneribus spoliisque videbimus olim
Splendere has humiles, limina sacra, fores!
Hinc Asiae exuria, nigra illinc Africa penderet,
Ensem ibi Turcarum, hic Maurica signa rideat.
Oh! quot barbariae aggestaeque sine ordine prorae,
Oh! qui vitali sed sine luce nitor!
Cerne peregrinum digitum qui singula lustrat,
Atque notat quaeris angulus omnis habet.
Nuntius ecce, ait, e celo cum venti olymbo,
Illa aditum et reditum parva fenestra dedit.
Hic locus est ex quo Virgo purissima vocem
Audiit aligeri dulce canentis « Ave ».
Ligneus hic scyphus est, quo potum haurire solebat,
Hic, positis prunis, ante sedere focum.
Jesus hic crevit, ritamque hic duxit Joseph,
Momentum mortis praedicidicte suae.
Attu, magna Parens, descendit iam ab extasi: iam te
Festines terris reddere, Diva, tuis.
Extasis aut tantum maneat, mea Diva, quousque
Ipsa tuum videoas flere pisi lacrimis
Vatem, qui septem hos defert, sua munera, cantus,
Qua pote sic ornans Teque tuosque dies.

sive ex parte
dant.

Memini me
annis, veterem li-
catu prostantem,
Tornielli cantiu-
legebantur: sed
ullum versum re-
civis horis innam-
tiunculis illis lat-
si quis quid de ig-
indicaret.

Ortus est Hie-
agro Novariensi
a. MDCCLII.


TER-

De coronarum

Ceterum ad sin-
loeos, ex quibus
ut ad eam, quam

Ante omnia qu-
liani verba « miles

(1) Cf. num. sup.
(2) « Si nihil intelligi-
coronam, quam gestar-
nobis latine redditus 1



Maria Virgo Dei Genitrix designata.
Tabula Fr. ANGELICI FAESULANI in Museo Florentino asservata. (Photographice expresserunt Fr. ALINARI, Florentiae).

sive ex parte sensum continentibus, procedant.

Memini me vidisse, quindecim prope ante annis, veterem libellum in publico librorum mercatu prostantem, in quo tres vel quatuor ex his Tornielli cantiunculis elegiaco metro redditae legebantur: sed neque auctoris nomen, neque ullum versum recordor. Nunc vero, cum subsecivis horis unam et alteram ampliusque ex cantiunculis illis latine verterim, pergratum foret si quis quid de ignoto interprete eiusque libello indicaret.

Ortus est Hieronymus Tornielli Cameri in agro Novariensi a. MDCXCIV; obiit Bononiae a. MDCCLII.

JOSEPHUS BONAVENIA S. I.

TERTULLIANEA ⁽¹⁾

De coronarum usu apud Christianos.

III.

Ceterum ad singulos aggrediamur Tertulliani locos, ex quibus vir clarissimus adductus est ut ad eam, quam diximus, sententiam accederet.

Ante omnia quae adnotavit ille ⁽²⁾ in Tertulliani verba « miles... solus libero capite, corona-

mento in manu otioso » etc. (1) quid valeant necio, quippe quae ne tantulo quidem viri docti sententiam confirmare videantur. Nonne mecum, benigne lector, statues militem illum futurum esse ut coronam sane, nulla mora interposita, abiiceret, ni quod eam manu tantummodo gestaret satis fuisset ad id, quod animo intenderat, plane perfecteque perficiendum? Ceterum consideranti vocem, quae est « otiosum », idem apud Tertullianum valere ac « inutile », « ineptum » (2) nimis ad arbitrium effecta viri docti animadversio videbitur.

Neque video scilicet quid ponderis sententiae afferant illius critici, quae legimus verba in XLII *Apol.* capite: « nos coronam naribus novimus ». Quem locum vir doctus ita illustrandum sibi facile persuasit: « Floribus igitur in formam innexi coronamenti Christiani quoque utebantur, ut nares suavi afficerent odore ». Quidni? At Septimius ille confidebat sane adversarios omnes, non a communis sensus consuetudine abhorrentes, vel hoc sibi esse concessuros, minus profecto oportere ille flores adhibeat in coronae formam innexos, qui floribus auram naribus haurire tantummodo velit. Quam ob rem eum magna nimirum tum fides tum auctoritas illis adiungenda sit Tertulliani verbis, quae sunt: « Quid tua interest, emptis

nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius esse liberis et solutis et undique vagis » (1), parvi, contra, vel nihil prorsus, quae sequuntur: « Sed etsi in coronam coactis (floribus) nos coronam naribus novimus » facienda sunt, ut quae nihil aliud, nisi dialecticam illam, qua Septimius praecelluit, artem, immo Tertullianam disserendi subtilitatem etiam insuper nobis ostendant.

Sed omnes spero in meam pedibus ituros sententiam, qui animum parumper ad novissimum Septimii locum convertant. Ait enim scriptor in V opusculi capite: « Hoc sint tibi flores et inserti et innexi et in filo et in scirpo, quod liberi, quod soluti, spectaculi scilicet et spiracula res ». Animadverte, lector, pronomini, quod est « hoc » pronomen « quod » relativa, quae dicitur, ratione coniunctum respondere (italice: *in tanto devi considerarli fiori... in quanto son liberi*, etc.).

Deinde pergit: « Coronam, si forte, fascem existimas florum per seriem comprehensorum, ut plures semel portes, ut omnibus pariter utaris. Iam vero et in sinum conde, si tanta munditia est, et in poculum sparge, si tanta molititia est, et in poculum crede, si tanta innocentia est ». Quaenam huius loci sententiarum concinnitas? Omnibus nimirum, qui nulla ducantur praejudicata opinione, perspicua erit:

(1) Cf. *Apol.* XLII.

(2) « Si nihil intelligimus nefas non erat manu eam gestare coronam, quam gestare capite impium fuisset » (Ex italico a nobis latine redditus locus).

« Num tu flores, in coronae formam innectis, ut plures semel portes, ut omnibus pariter utaris? Si res ita sese habet (iam vero) et in sinum conde (s. flores), si tanta munilitia est, et in lectulum sparge (flores) si tanta mollitia est, etc... Quod si feceris, plures tu semel portabis flores, iisdemque omnibus, quasi in coronae formam coniunctis, pariter uteris».

In quo quidem illud est cognitione dignissimum, quod verba quae sunt « condere — spargere — credere », nonnisi cum floribus liberi, solutis sane congruere possunt; quam ob rem quin Tertullianus usum per se flores innectendi damnaverit nullus dubito.

At vero Septimii ille studiosus plane dissentit, idemque verba quae sunt « et in sinum conde », etc. ad coronam quoque referenda esse contendit; quam ad sententiam — ait ille — qui minus accedit fateatur oportet Tertullianum a recta dieendi via paulum deflexisse, immo contra grammaticum genus pectasse. Quin immo conedo Septimum eo prorsus, de quo supra, loco tritam a latinis scriptoribus viam longius reliquise artemque neglexisse grammaticam. Quid enim? Potius erediderim in errorem lapsum esse qui scripsit, quam a mea luce clariore interpretatione patiar abduci. Ceterum longus sim taedioque lectores afficiam si hoc denique probare velim, latine nec non grammaticae eo loco Tertullianum locutum esse: quam ob rem id potius concludamus liceat, eversorem illum, quem diximus, coronarum, quemvis, suo opere, dam-

navisse coronarum usum, Christianorumque odio quodvis coronarum genus subieccisse.

Galatinæ in Apulis.

JOSEPHUS MARRA.

VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

Augustinus Ciasca, S. R. E. pater purpuratus, familiae Augustinianæ sodalis, qui superiore februario mense Romæ obiit, linguarum Orientalium cultor inter Italiam primores.

Thomas Sidney Cooper, belluarum pictor in Anglia praestantissimus, penicilli Nestorem cognomen habuit, siquidem ad ultimos vitae sua dies, quae fuit annorum novem et nonaginta, suam artem tractavat.

Aemilius Holub, explorator et ethnographus, australis Africæ descriptor. Holitz in Bohemorum urbe natus est an. MDCCXLVII. Medicae arti ac naturae disciplinis Pragæ studuit, quae inde in ultima Africa tam prospere exercevit, ut brevi magnam congesserit pecuniam, quam quidem ad Africanum intimius perquirendam impendit. Itaque trans Waal flumen migravit usque ad Monomotapa ruinas; inde ad occidentem, inde ad orientem eiusdem fluminis perrexit, et nigritarum regna Sescele et Sechomo invisit. An. MDCCCLXXV iter ad Limpopo aggressus est, cuius cursu fere omni recognito, regionem Pandama-Tenca petiit; sed morbis fatigatus in Europam et in ipsam Bohemorum urbem caput redire coactus est, quo tanta a se in itineribus congesta contulit, ut nemo unquam peregrinantum. Expeditiones denique a se peractas scriptis mandavit, communi quidem eum doctorum utilitate.

I. F.

De Michaele Angelo Chiatellino.

Decimo sexto kalendas februarias, Cariniani, apud Augustam Taurinorum, instauratum est eum laudibus et magno civium conuersu funus honori et memoriae Michaelis Angeli Chiatellini, sacerdotis antiqua innocentia et fide.

Humili loco natus in parva hæc urbe, quæ domui Augustae antiquitus titulum honoris dedit, vel a teneris ungueulis, in sinu matris altus educatusque, plurima de se laudis indicia praebuit, et illico omnium virtutum exemplar inter aequales illuxit. Admodum puer nomen sacrae militiae dedit, et sacerdotio auctus, singulari pietatis studio, sanctissimis moribus enituit. Ludimagister, pectoré candidus, castæ, integre, naviter munus sic obivit, ut sui securus, posthabita etiam valetudine, ab officiis religione numquam declinaret.

Infensis rei christiana temporibus, strenuam Episcopio operam navavit, rebus amicorum fidissimus, egentium inopiae, ipse pauper, propius, promptos unicuique aditus, obviam comitatem exhibuit.

Sanetius et reverentius de religione eredit, et constantibus exemplis animum firmavit. Ob oculos præ ceteris sibi proposuit Ioannem Bosco, deus illud recens subalpinorum sacerdotum atque ornamenti.

Populum ad religionem sanctissime instituens, inventum in primis sibi devinxit, quam unice diligebat: multos adolescentes, quibus angusta res domi erat, musicen docendo, cuius fuit seitissimus, inopia sublevavit. Moribus puerorum et ludis tutandis, hortos domi apud eadem principem urbis eo consilio extruxit, ut diebus festis in disciplinam atque ad diversandum convenienter pueri, qui diebus feriatis, adsiduo opere distinentur.

Tanta apud omnes auctoritate valebat, ut ipso vultu pacem et concordiam suaderet.

Hic virtutibus eurus atque acceptus clero populoque, octogenario maior, occidit sacerdos optimus, quem non infirmo desiderio sui sunt prosecenti.

Tot autem morbis animi corporisque laboravit, ut

ei non erupta deatur.

Sancte deceas in moerorem eos posuerunt atque

DE PATIE

D E Sinensi diligentem Smith Anglus.

Argumentum partes inquirat est populorum exstare principis sit; quinimo rem suam per

Supremum tam proeliis i dentia superatur puerilis Sinens documentum:

Quod quidem rum gentium invi vimus omnes, ceptum princeps stitisse maioribus ad imitanda edocti sumus.

Fatendum tales omnium qui esse patientissima turba maiorum hominibus tutas adversas lent animo sus

Si in sulcis opprimat iniuria ignavus Caesar quibus nos euna eademque gissimum temp ad occasum; si quidquid inint taedio afficitur, nensis ubique fulguret sol; dlatu in os eius quidem libentie veat; motibus exercitio vacat illud nobilis servum seiseitata ducta circumeu pilarem agendum

Ex inertia dumque Iaponi sese mergunt omni inmunditia foeno assuescut quos nobis cons quosque nec assumat; ne ab aut pullorum a

Contra vero dulitas, quae est; neque raro de re publica genarii senes

*Ingenita casum miserans pietate columba,
Immittit paleae fragmen in oceanum.
Hunc formica levem, ceu promontoria, culmum
Scandit, et eluctans, littora tutu subit.
Repserat interea, nudo pede, rusticus illuc,
Clam venans, areu sternere dexter aves!
Alite conspecta Veneris, iam gaudent inempta
Coena, non secus ac cerneret appositam.
Huic, telum iam missuro, formica repente
Natura mordet foreipe pone pedem.
Respicit ille, strepit; strepitque excita volueris,
Aufigit aëria longius inde via.
Cum volueri sperata viro coena avolat una,
Nullaque gratuito parta columba fuit.*

XXVII. — LEPUS ET RANA.

*Multa lepus meditans, molli recubabat in herba:
Quid vigil in nido, ni meditetur, agat?
Tristes insomnem cruciabant undique curae;
Curae, queis numquam stirps leporina caret:
- « Me miserum! — gemuit — pavido qui pectori natus,
Otia pura metu carpere nulla queam.
Non animum recreat, quae sit sincera, voluptas,
Non reficit stomachum coena quieta meum.
Improbus ille pavor vel somnum turbat, hiante
Ut dormire oculo cogar et auricula.
Dicit forte sophus: depone, lepusculæ, euras.
Ponam, sed posita (vae mihi!) pelle simul.
Nec metus in lepores tantum cadit; incidit idem
In vos, ni fallor, gens animosa, sophos».
Haec secum lepus; et partes intentus in omnes,
Excubias vigiles irrequies agit.
Consilii mens errat inops, gelidumque parenti
Iniicit horrorem ventulus, umbra, nihil.
Talia sollicita trepidus dum mente reverberit,
Arrecta strepitum percipit aure levem.
Ilicet ad loca tutu fugit, fugit alite cursu;
Quo properans, stagni littora curva legit.*

XXVI. — COLUMBA ET FORMICA.

*Alterum id exemplum leviora animantia praebent.
Sedabat vitro fonte columba sitim.
Formica imprudens, dum sese inclinat ad oram,
Praecipi in medias vertice fertur aquas.
Videris hanc, magno velut oceano interceptam,
Vana defessa arte movere pedes.*

*Ranae præcipiti saltu se mittere in undas,
Ranae limosa condere sede caput:
- « Ohe! terrorem pario, qui terror, — inquit —
Conspectus noster turbida castra fugat.
Vis haec unde mihi, ranis metuenda? Profecto
Fulmen ego belli; plaudite, fulmen ego».
Ignarum quemris tibi finge; ignavior alter,
Qui prior Hectoreus dux videatur, erit.*

XXVIII. — GALLUS ET VULPES.

*Stabat in excubiis senior super arbore gallus,
Seu ritare dolos, sive parare vafer.
Hunc adiens vulpes, verbis affatur amicis:
- « Frater — ait — bellis diximus usque vale;
Pax tandem sancta, sacrae sum nuntia pacis.
Huc ades, amplexus accipe, reddre pios;
Sed descendere celer; iubeor decurrere centum
Plus stadiis, pacis nuntia laetificae.
Iam tibi, iamque tuis dare tempora rebus agendis
Fas erit; amorit pax rediriva metum.
Ceu fratres, vos officis gens nostra iuvabit;
Prodat festivæ gaudia restra faces.
Nunc te iunge mihi, fraterni pignus amoris,
Oscula ut accipias desque beata simul».
- « Gratius audieri nihil — inquit gallus — amica,
Bis lactor, pacem quod prior ipsa feras.
Ecce canes video geminos huc tendere cursu;
Mox aderunt; praeco pacis uteque venit.
Mutua sic trini nobis haec oscula demus».
Cui vulpes: — « Via me longa manere vetat.
Compositam pacem melius celebrabimus olim,
Otia cum dederint munera nostra. Vale».
Nec plura: elusas dum vulpes ingemit artes,
Se rapit hinc subito, tutaque septa petit.
Vulpinos ridet gallus fictosque timores;
Gaudia dupla rafro ludificasse rafrum.*

(Ad proximum numerum).

ei non erupta a Deo vita, sed donata mors esse videtur.

Sanete decessit tertio idus decembres an. MCMI, et in moerorem coniecit cives, qui moestissimi titulum posuerunt atque funus solemniter instaurarunt.

SUBALPINUS.

DE PATIENTISSIMO SINARUM POPULO.

DE Sinensium indole neminem tam fuse atque diligenter scripsisse reputo, quam Arturus Smith Anglus.

Argumentum sane dignissimum est quod per partes inquiratur atque exponatur, si verum est populorum ingenium historiae suae causam extare principem. Neque scriptor incepit cesis; quinimo cum laude eruditorum funditus rem suam pertractavit.

Supremum bellum in omnem Europam, non tam proeliis initum quam constantia et prudenter superatum, id satis confirmat, quod usque puerilis Sinenses tradunt summum sapientiae documentum: «Flectar, non frangar».

Quod quidem quam longe aberret a nostrorum gentium moribus et opinionibus plane novimus omnes, qui contrarium e diametro praecipuum princeps vitae duendae consilium existisse maioribus nostris scimus, quique eorum ad imitanda gesta a magistris, a parentibus edocti sumus.

Fatendum tamen sua sapientia eruditos Sinenses omnium qui orbem incolunt populorum longe esse patientissimos, qui cum perspectum diurna maiorum experientia habeant numquam hominibus tuta pace esse fruendum, sive bonam, sive adversam fortunam, quo magis aequo valent animo sustinent.

Si in sulcis arescant gramina, si magistratus opprimat iniurias, fert tranquillus civis, negligit ignavus Caesar. Desunt enim Sinensi viro nervi, quibus nos contra tanto iam morbo angimur: una eademque corporis compositione ad longissimum tempus manet immotus, ab ortu diei ad occasum; sive serat, sive scribat, sive aliud quidquid ininterupte perficiat, nullo umquam taedio afficitur. Quidnam? Dormit pariter Sinensis ubique seu circumstrepant classica, seu fulguret sol; dormit etsi muscae inquieto volatu in os eius suo libitu discurrant, dormit quidem libentius quam loco forte sese dimovet: motibus enim brachiorumve pedumve exercitio vacat numquam, ita ut notissimum sit illud nobilis Sinensis cuiusdam, qui anglicum servum sciscitabatur quo pretio domina eius conducta circuncurreret in horto ad ludum illum pilarem agendum, quem *lawn-tennis* vocant.

Ex inertia itaque infanda gentis sordes; dumque Iaponii frigidaris calidarisve quotidie sese mergunt ut loti vivant, Sinenses contra omni inmunditia cooperati facient atque omni foeno assuescunt. Cibos equidem manducant, quos nobis conspicere salvo stomacho non liceat, quosque nec fame deficiens quisque nostrum assumat; ne ab aegrotantium quidem pecundum, aut pullorum aut murium carnibus abstinent!

Contra vero mira populi diligentia, mira sedulitas, quae et cuiusvis coetus aetatisque laus est; neque raro, cuin referuntur a magistratibus de re publica epistolae, octuagenarii et nonagenarii senes periculum publice fecisse nun-

ciantur pro munieribus obtinendis, idque lucida mente conceptum et firma manu exaratum. Ad mortem etiam usque constantes in labore perseverant aurifices, stannearii fabri, seu lignarii, graminumque cultores et textores gossypii, qui et Canton et Ning-po et Fu-ehou urbes inhabitant, ac summio mane accedunt ad operam et multa vix nocte recedunt.

Patiens laboris opifex ne festo quidem die fessus ab opere quiescit; verum, ut est antiquitatis totius sua quoque in arte assecla fidus, multo exiguiorem fructum tanti laboris Simensis colligit, quam obtainere possit si novo ad labore stilo utatur.

At mendax contra ultra quam dicamus, sive id calliditate foveat, sive alienae fallacie metu, sive nimia humanitate qua imbuitur: laeto enim vultu eum esse leges iubent, etsi matrem patrem morte amiserit.

Cuius calliditatis eximiae apex quodammodo videtur esse constitutus in illo Confucii: «Honora deos, at cave ne nimium aedes». Negligunt itaque templae eives et pagani passim; quae si ingrediantur aliquando, multo quidem rituum ostentu faciunt, religione vero nulla. Quisque enim caelestis imperii ineola haec adamussim secum ipse recogitat: «Dii si existant bonum erit mihi mortis tempore eos coluisse: quid autem si non sint? Haud gravem ferme laborem perdidero». Quapropter tutior saltem religionis via eaque proinde calenda melius. Cetera nihil faciunt; de Deo uno vel de pluribus non disputant, neque curant aliud constanter, quam vitam ducere serenissimam.

Nonne, qui supremi belli eventus a longe sequuti sumus, iuvenem caelestem filium facto imperio regnare vidimus, seseque in omnibus materno arbitrio tradere usque paene ad regiae aulae et urbis capitum et imperii exitium? Gerit tamen ille vacuam curis importunis aetatem; eiusque exemplum sequuntur subditi, una tantum sorte beati cum patientia assidua et tranquillo labore detur tandem serenae morti oculum.

A. COSTAGGINI.

SOCIORUM ANIMADVERSIONES

A. Crivelli et I. Tasset viris amplissimis Hyacinthus De Vecchi Pieralice s. p. d.

NEC Hercules contra duos!... Quid si homo quilibet contra duos Hercules habeatur? Atqui nunc haec mihi conditio rerum. Alter vestrum ab Aquilone, alter ab Austro in me, pacifice medium inter utrosque tenentem, promissa cuspide irruit, si dī faxint, absque misericordia confossuri. Verum cui aequa duobus virtus deest, sit pro virtute calliditas, quae honestam doceat fugam; qui fugit enim denuo pugnabit. Vos porro percipite quam sine fraude fugam ab utroque moliar, proeliumque contra me suscipientibus proelium quidem ad libitum producendum relinquam, at inter vos gerendum, dum ipse longius exedo, ne horrificae lanienae testis existam.

Atque ad rem ut veniam, primum tibi, Crivelli incedissime, coram dicam, quae epistolae tuae clam, et mollioribus verbis expresserim;

dicam aperte quae velim ad aures tantummodo confiteri. Delicatulae tuae teretesque, ut vocas, aures vocem illam, quam inducere novam conatus sum in linguam Catonis et Ennii, horruerunt; nec «ferroviam» probas, quum prosodia latina imperante, tres habeantur breves vocales in voce. Non iure auriculac tuae horrere mihi videntur, quod nullo mortis periculo saepissime auscultarunt, quod oculi sereni tui serenissime plerumque legerunt, nullis nubibus e subiecto libro scatentibus, visumque offuscantibus, vultumque percellentibus turbine, tonitru, fulgere, grandine, nimbo. Quoties enim vidisti, legitisti, seripsisti «multiplicia, semiamima, flexamina, sollicita», et, cum Ovidio, satyrico mortu Menelaum in quemdam saeviens, pronuntiasti celebrem illum versum:

Semibovemque virum, semicirumque boem?

Qui ergo Nasonem non horres, amabis vatem aut scripturum, aut seribentem non medioeri elegantia:

*Summo rix colle potitus,
Per tenebras longe subsistens accipit aure
Agmina longarum resonantia ferriarum,*
voce referente sonitu abeuntium, raptatorumque carorum fragores.

Haec ego ut mihi conciliem auriculas tuas, blandiens animo simul et sensibus; sed nunc moneo te mihi non fuisse sententiam quaerendi per periphrases et longas verborum ambages quomodo stratae ferreis axibus viae, et (morem geram Tassettio nostro) chalybeis constratum orbitis iter appellarentur, sed unum fuit afferre breve nomen, quo omnes illae periphrases continerentur, et quo rapidius et scriberemus, et colloqueremur.

At in hisce discedam a te; nam Tassettius properat, et iam surgit

intorquens summis adnixus viribus hastam.

Tu modo tibi consule, Crivelli mi; illi enim nee displicet illa pompa trium brevium syllabarum una tantum in voce «ferrovia», nec dubitat quod melius, aptiusque, latinusque (parce violenter illato verbo) videtur afferre, nempe «ferrivium», quod cum neutrum sit, in plurali numero «ferrivia» dabit. Addit paeclaris chalybeis orbitis, de agmine carorum et eurruum, quae omnia ego et laudo et

accipio agnoscoque libens;

non enim ambitione mala, aut audacia temerarius

*signatum praesente nota producere nomen
volui, sed hoc feci, siquid fecerim tamen, ut
exempli trahenti, longe meliores me, immo
optimos excitarem; interea vero quod optimum
faetu mihi visum patrarem.*

Atqui, Tassetti noster, tu non remigio tantum, sed remige et vento coniurantibus una, portum ingrederis, et uberrimas in litus mereces exponis undeque quaeasitas. Dī negotium tuum tibi fortunent! Ego, qui in nundinis nugas et crepundia ex cupro et vitro expono mea, minime invidebo tibi, qui aurea perfers et gemmata monilia. Felix quidem et quasi mensae deorum particeps, si video sermonem latinum novis ditatum vocibus, quas praesentia saecula induendas imperant et habendas, ad inventionibus recentioribus necessarias et opportunas.

Quae igitur, Tassetti, scribis, utrisque amplector ulnis, ut unusquisque in sensu suo abun-

det, et in horreum latinum omnium frumentorum genera et species conferens magnas paret divitias, et nova et vetera bonus inde quisque paterfamilias educat.

Tu modo eum Crivellio consere manus, et inter vos arcu et gladio, catapultis et hastis rem dirimite, utrum in latinum sermonem vox inducenda sit quae, instar illius male muleatae « ferrovia », « ferrivium, ferrivia », possit ibi commode commorari.

Ego, quoniam et catapultis et arcubus rem peragitis, a longe spectabo duellum; vos autem illud unum eurate, ne dum alterutrum petitis, me feriatis; huiusmodi enim easibus venatoriis annales sunt referti, et in proverbio est duos inter litigantes fore ut tertius aut praeda fruatur, si callidus; aut, si bona fide rem praestet, hinc et inde, — vide sortem! —, bellissime fustigetur.

Valeat uterque vestrum, et simul ambo valete, meque diligatis oro, prouti vos ego diligo.

ANNALES

Serborum in regnum frustra parata sedatio — Iter Henrici Borussorum Principis ad Americanos — Loubet praesidis proximum iter in Russos — Transvaaliana — Urbana solemnia.

SERBOS commovit extremus potiundi regni Sonatus quem a Karageorgevic exsule e regia gente in Helvetiis degente tentatum dixerunt, cuiusdam Rade Alavantie ministerio et audacia paene dementi. Dederat quidem iam Karageorgevic ille ad Serbos litteras, quibus sese regni haeredem legitimum protestatus fuerat, civesque incitaverat, ut redeunte brevi centesima die, ex quo atavi sui opera gens Serba a Turearum servitute vindicata est, hodiernos reges a solio pellerent.

Attamen huiusmodi epistolas pacifico animo Serbi audiverant passim, neque ulla factio surrexerat, quae adserenti exsuli faveret. Verum III non. huius mensis Martii Alavantie ille imperatoriis insignibus induitus per Danuvium flumen Scibatz finitimatam Serborum urbem appulit, rectoque tramite ad militum eu-stodiam progressus est. Hos dum adhortatur ut sese Serborum militiae tamquam praefectum sequantur, supervenit ecce in castra vigilum tribunus Nikolic, qui concessionem silere iubet publicaque proferre diplomata, unde emineat quoniam titulo sese imperatoriis vestibus insigniverit. Ille contra ne verbum quidem remittit, sed sumpta celeriter manuballista, tribunum glande petit atque vulnerat: hic vero sna vice manuballistae ietu respondit, quo in pectus immisso, se petentem interficit. Tunc Alavantie comites in vineula traduntur, atque ita omnia fluxa flunt.

*

Henricus, Vilhelmi Germaneorum Caesaris frater, initum per Nordicas Americas pergit iter. Laetitiam vix dicere est et ferias scribere, quibus Americani magistratus civesque hospitem exceperint. Commessationes atque spectacula habita quotidie splendidissima, quae et dedit Roosevelt praeses, et Whashingtonii et Neo-Eboracenses municipes, iisque certatim celeberrimi toto orbe Croesi, qui rem pecuniariam totius

reipublicae sodaliciis ferreis suis ad libitum moderantur. Qui in epulis a se paratis tantos profuderunt thesauros, ut non modo Lueulli mensas vicesse credideris, sed et Sardanapali regis Assyriae fabulosa convivia paene obseu-rasse. Epulae pariter habitae in navibus, quarum altera nomine Hohenzollern a Wilhelmo rege fabris commissa Americanis in mare tune innatavit, cum ritui patrona adasset Alix puella, Roosevelt praesidis filia. Hanc ob concessum humanissime patrociniū Wilhelmus Caesar per fratris manum armilla donavit adamantibus constellata atque propria Caesaris effigie insigni.

*

Huius itineris erit brevi aemulum alterum, quod Loubet praeses Russos versus aggredietur, et Russorum Caesar ipse datis sua manu litteris a praeside expostulavit. Si tamen nunciis fides est habenda, id non ante mensem Maium fiet.

*

Inter tantas amicitiae pacisque protestationes, alterna fortuna Boerorum Anglorumque bellum in Transvaaliana regione perdurat. Paulo post Botha dueis felicem fugam, Kitchener ab Harrismithad Vauramen copiis suis Boerorum agmina inter munita oppida compulit, eaque adortus ad sexcentos usque hostes vel vinetos reddidit, vel occidit. At nonnullis diebus post, Dewet, Boerorum imperator, coactis rapido cursu in unum omnibus agminibus, quae supersunt diffusa per dissita patriae loca, in hostium copias, impedimenta magna tuentes, noctu impetum fecit, extremum agmen fudit, equos permultos diripiuit, commeatus pessum dedit, dispersit, captivos et ipse magno numero accepit. His pe-raetis ad Kler's Dorp locum similem pugnam Delarey committit, Anglisque fusis, tormenta bellicia quinque secum pertrahit, duosque currus in quibus vulneratos nonnullos e suo agmine reponeret.

*

Iamvero placet tristium huiusmodi rerum obligei, ut memoremus feriatam diem persolem-nem Martii mensis tertiam, qua Leo Pontifex Summus ovante universa catholica gente per orbem, vigesimum quintum Supremi Pontificatus annum fauste iniit. Apparuit quidem multitudini in Vaticana Basilica congregatae Pater fidelium annorum plenitudine minime prorsus fractus; sed pleno adhuc robore virium et tamquam prodigiosa vita gloriosus. Reverentes, admirati, Illum salutavimus, ingenti plausu auspi-cantes iterum felicem diem, qua futuro anno expletum Pontificale hoc iubilaeum una cum Ipso Quirites et peregrini celebremus.

POPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia de opificum quotidiano labore oblata rogatio est, ne amplius quam per octo horas singularis diebus producatur: at populi legati rogationem resperunt. Hicks Beach administer de bello Africano atque de militari re fusana oratione habuit.

In Austria summa expensarum pro futuro anno examinatur: de Tergestina seditione cum haberetur disceptatio, socialistarum reiicitur rogatio, qua milites vituperantur.

In Belgica Paulus Ianson, populi orator, coram universo coetu obtestatus est hodiernam suffragii fe-

rendi condicionem sibi magis gratam esse quam quae nova rogatione proponitur, ne mulieres ius suffragii obtineant.

In Serbia de seditione motu, ab Alavantie apud Scibatz portum infelicitate pertentato, verba coram municipibus habita: municipes regem magnis plau-sibus salutarunt.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

Dott. TRANQUILLO CORBETTA. *Tavole pratiche di declinazione e coniugazione Greca*. — Mediolani edid. off. Rebeschini, 1901.

Amabimus et prosequemur laude semper viros, qui in aspera disciplinarum tradendarum via, et linguarum praesertim, industriam exerceant suam in calle sternendo adolescentibus, ut fiant « prava in directa, et aspera in vias planas ». Non enim sufficit singulis quod satis esse creditur omnibus, et reddit quotidie illud eximii doctoris, ab alio intelligi melius nonnulla per synthesim, ab alio per analysim, ab alio de-nique commixta methodo utraque. Magni est igitur apud nos doctor Tranquillus Corbetta, qui et adolescentibus prodesse voluit, et semet in re docta, eaque laboriosa, exercere. Quamquam, ut vera profitar, in tabulis quas edidit de greaca declinazione et coniugatione illud non satis attigisse puto quod in huiusmodi operibus est summa; perspicuitatem dico, quo fiat ut primo quasi aspectu rem universam possit quiske complecti ac tenere. Et sane ipse necessariam sibi sensit explicandi vim, quam reapse praestitit, notas ampliores singulis tabulis apponens.

H. P.

AENIGMATA

I.

Me fuit excipiens Ithacensis divitis aula;
Mendicusque fui, « qui modo Croesus eram ».
Aegroto medicus tibi consiliarius adstem:
I..., propera pedibus mox requiesce meis!

II.

Non summam Schillerus ait me stare bonorum.
Conforta *medianam*: victima honesta dabor.

A. E. DE DRUFFEL.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

PETRI ANGELINI
LOLLIUS

SIVE

DE PROVCTA LATINITATE.

Aenigmata an. V, n. II proposita his respondent:

1) Sitis; 2) Serra-Sera.

Ea rite soluta miserint:

Th. Vignas Sch. Piar.; Q. Mirti Della Valle; Anic. Tapias Navarro; Caet. Destro, Roma. — Alois. Rossi, Arona. — Lud. De Rubois, Igurro. — Fr. Prikryl, Katzelsdorf. — Pr. Gordon, Mancunio. — Nic. Costantino, Cephaludio. — C. Tranchese S. I. Neapoli. — Guili. Schenz, Ratisbona. — R. Magenta, Genua. — St. Figielksi, Rypino. — Ant. Allaria, Augusta Taurinorum. — Coll. Schol. Piar. Stellae. — Eug. Sosio, Bornito. — Ven. Cariolato, Vicentia. — Ad. Skrzypkowski, Swinice. — Sz. Kalman, Tomord. — Ios. Wabner, Varsavia Potonorum. — Ioan. Cantono Ceva marchio: Ern. Frè, Ver-cellis. — Th. Wall, Starawies. — Bern. Aleo Sch. Piar., Utiel, P. Reinel, Trafistaria. — A. Mesek, Travnik. — Iac. Tasset, Motomio. — Ant. Lassota, Mandela. — Am. Robert, Marieville. — Alois. Cappelli, Senis. — Ad. Huza, Grybobia. — B. Michalski, Suchecice. — Le Provost, Briocen. — P. G. Z., Modoetia. — Aem. Crivelli, Asisio. — Ant. Urbina et Ortiz, Morella. — Car. Stegmüller, Sabaria. — C. Perazzi S. I., Mengatore. — Al. Battisti, Marauia. — Aug. Roberge, Chicotino. — Ios. Crosatti, Poiano. — Iul. Sernatinger, Dresden. — H. Gini, Taurinis aquis.

Sortitus est praemium.

JOSEPH WARNER,
ad quem missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus
DE POETIS ET NUMERIS LATINIS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Paed Phil. Cuggiani.

gratam esse quam quae
e mulieres ius suffragii

notu, ab Alavantie apud
erentato, verba coram
e regem magnis plau-

SCRIBA.

ECENSIO

TA. Tavole pratiche
azione Greca. — Me-
1901.
laude semper viros, qui
ndarum via, et lingua-
xercent suam in calle
ant « prava in directa,
on enim sufficit singulis
bus, et reddit quotidie
intelligi melius non
er analysis, ab alio de-
que. Magni est igitur
Corbetta, qui et ado-
semet in re docta, eaque
m, ut vera profitear, in
declinatione et coniu-
se puto quod in huius
rsipicitatem dico, quo
rem universam possit
sane ipse necessariam
iam reapse praestitit,
lis apponens.

H. P.

ATA

sis divitis aula;
odo Croesus eram ».
lliarius adstet:
nox requiesce meis!

t me stare bonorum.
na honesta dabor.

DE DRUFFEL.

e aenigmatis inter-
tarii moderatorem
ses, unus, sortitus,
i titulus:

LINI

S

TINATE.

sita his respondent:
a-Sera.

Della Valle; Amic. Tapia-
is. Rossi, Arona. — Lud.
zetsdorf. — Pr. Gordon,
audio. — C. Tranche-
isbona. — R. Magenta,
Ant Allaria, Augusta
Stellae. — Eug. Sosio.
— Ad. Skrzypkowski,
Ios. Wabner, Varsavia
marchio; Ern. Frè, Ver-
Alcón Sch. Piar., Utile.
Travník. — Iac. Tasset,
Am. Robert, Marie-
d. Huza, Grybowa. —
ost, Briocen. — P. G. Z.,
Ant. Urbina et Ortiz,
ia. — C. Perazzi S. I.,
Aug. Roberge, Chi-
l. Sernatinger, Dresda.

opus, cui titulus
IS LATINIS.

AMPI, iurisperitus.

Phil. Cuggiani.

CONSTANTINI PISONI CANDELARUM AD SACRA OPIFICIUM EXCELLENS, PRAEMIIS INSIGNE


ab anno MDCCCLIII constitutum

Romae in Italia, Corso Vittorio Emanuele 127-129 et Via de' Sediari 1, 2, 3.

Vaticanan Basili-
cam instruit, quoties
de Beatificatione aut
Canonizatione so-
lemne sit.

Clientes frequen-
tissimi sunt in Urbe,
in Italia et apud ex-
teras gentes.

Fama
undique manavit.



Cereas faeculas ad
noctem conficit, eas-
que ad decem usque
ac duodecim horas
diurnas, Ecclesiis
ac familiis necessa-
rias, quod pars
moniam cum salu-
britate et munditie
coniungant.

Vitre
faeculis suppeditat.

OPIFICII PISONI PROSPECTUS
ROMAE, Via Orti Alibert 13-15 (Lungara).

Res per omnem orbem exportatur nullo iubentium impendio

VARIA

Medicae volucres.

Chirurgiam et medicinam facere sibi aves
quis credet? Res tamen in factis est posita,
nec dubitare de re euquam licet. Commenta-
rius, cui nomen *Medical Record*, evidenter pro-
bat, quae Societati Genavae nuper creditum
est circa eurationes, in quibus industria suam
aves exserunt, siquando vulneratae, aut casu
aliquo debilitatae fuerint. Parvus enim se-
lopax venatione interfectus indicia antiquioris
vulneris in pectore gerebat, quod plumis pro-
pris et cataplasmate quadam sanaverat. Alius
ex hisce in rostro gerebat adhuc cataplasmata,
nam totus erat in vulneris cura. Scolopax
tertius, cui scolopi ictus utramque tibiam fre-
gerat, sequenti die mortuus repertus est; atqui
tamen interea frustula lignea super confracta
ossa disposerat, plumis propriis circumdede-
rat, alligaverat, penitus omnia, quibus convalesceret, absolverat; sed plumae sanguinolentae
haeserunt rostro, et impos hoc aperire ut ve-
seretur, fame mortuus est.

Morbis ex arthrite et rheumatismo remedium.

Quoties dolore arthritico vel rheumatico quis
laboraret vulgi sapientia, quae plerunque ex
traditione, plerunque ex experientia est, in-
terdum ex utraque, calentia igne quaque do-
lori superimponere solebat ab operculo late-
ritio ad aheneam lamnam, a calefacto lanae
panno ad sericum, et animalium vellera. His
itaque inhaerens scitissimus Tallermann, in
Australia medicus, eurationum initiv rationem
felici semper exitu coronatam. Ipse igitur ex
metalio vacuos cylindros confecit, quos sicco
complet aëre, cui calorem ad 150 gradus ther-

mometri a 120° addit, interius vellere aut
amiantho loricatos; in his autem correpta rheu-
matismo membra concludit, non tamen ultra
horae dimidium. Tum calor additur ad gradus
prout exposuimus, et illico manat ex artibus
inclusis sudor, quo defluente, et membra refrige-
rario suavi fruuntur, et dolorem penitus exuunt.
Idem eurationis genus in horribili illo morbo,
qui «endocardites» dicitur, adortus est, salu-
tari semper fine absolutum. Hoc autem ita fa-
cile cuvis est, ut lectores nostros hortemur
et ad suscipendum si opus fuerit (Deus tamen
causam avertat), et ad indicandum aliis, si quis
fuerit, qui laborarit.

Solis radii in curando cancro.

Rempublicam New-Jersey, in America, non
mediocriter labefactat novae pestis ruina, quae
cancro afficit gentes. Incertum apud medicos est
utrum huius pernicie causa contagio, an epidemicæ malignitatib; tribuatur; id est — si ad vul-
garem sermonem descendere velimus — utrum
semina mortis, et pestilentiale causa statuenda
sint in cibis, et potu, an potius in aëre mi-
crobiis infestaient, vel in attactu, quo-
modocumque fiat, magis immediate vel minus,
inter infirmos et sanos. Quomodo res cumque
se habeat, praestat curare malo morbo et ul-
cere pessimo perculos; in his autem sanandis
et morbo exterminando, radii solis praesertim
opem ferunt, et maxime ii, qui X, seu a Röntgen
appellantur. Quinimum doctor medicus Hutchins
in regione, cui Carolina australis nomen, triun-
paliter hisce usus est radiis contra «epite-
liomes» in vultu; Londini autem, in nosocomio
dermopathicò, hac arte, hoc remedio vel in
stomacho abditi rodentesque cancri curantur,
sanantur. Medicus Cannon a Boston, qui in
felinis, cum eibum digerent, stomachis vir-

tutem radiorum horum sequutus est, parat
librum, in quo mirabilia et singularia ad sa-
lute humani generis dicitur concessisse.

Ioci.
Pepiti filius.

Pepitus filium habet litteris inimicum, quem
tamen quotidie verberibus in scholam agit. Ma-
gister accipit, atque a colaphis paternis interdum
defendit. Cum postea hortaretur ut litteris dar-
ret operam, ne asinus diceretur, et docilis et
bonus nomini suo responderet (Agnellus nomen
erat puer): — Atqui — inquit Agnellus — si
tu scires, me asinum esse velles. — Ut quid?
— Quia pater meus saepe agnello et occidit,
et coquit; asinum, quem domi habemus, num-
quam occidit. Vivam asinus.

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

DOTT. LUIGI ZENONI. *Per un verso d'Or-
azio.* Nota critica. — Venetiis ex off. Sorteni
et Vidotti, 1901.

DOTT. LUIGI ZENONI. *Per gli studi clas-
sici.* — Venetiis ex off. Sorteni et Vidotti, 1902.

DOTT. GIOVANNI PASCIUCCO. *Quinto Fabio
Pittore.* — Neapoli, ex off. Henrici M. Muca.

De dupliciti Sacri Corporis Divi Sosii trans-
latione Carmen historicum a CARMELO PEZ-
ZULLO editum. — Neapoli, ex off. Nicolai Volpe.

Versioni da Ovidio. Saggi di CARLO LUIGI
TORELLI. — Turenii edid. V. Vecchi.

ANGELUS NARDIS. Ad Leonem P. M. ode. —
Porticibus, typis Spedaliere, MCMII.

M. Tullii Ciceronis de Officiis libri tres
commentati da GIOVANNI DECIA. — Libro I. —
Edid. I. B. Paravia et soc., 1902.

SOCIIS COMMENTARI "VOX URBI", PRAEMIA CONSTITUTA IN AN. MCMII



«Pallas Minerva». — ALEXANDRI PHILIPPEPI (v. Botticelli) tabulam hanc «photocromice» expresserunt (metr. 0,30 × 0,40) Fr. ALINARI, Florentiae, et *Vox Urbis* sociis dono largitur in an. MCMII (Cfr. huius Commentarii operculum pag. 2).



«Madonnina» RUPERTI FERRUZZI tabula, quam «photocromice» expresserunt (metr. 0,30 × 0,40) Fr. ALINARI, Florentiae, et *Vox Urbis* sociis dono largitur in an. MCMII. (Cfr. huius Commentarii operculum pag. 2).



«Maria Puerum Iesum adorans» — PHILIPPI LIPPI tabulam hanc «photocromice» expresserunt (metr. 0,30 × 0,40) Fr. ALINARI, Florentiae, et *Vox Urbis* sociis dono largitur in an. MCMII. (Cfr. huius commentarii operculum pag. 2).



«Maria Virgo Infantulum suum adorans» ANTONII ALLEGRI (vulgo il Correggio) tabulam hanc «photocromice» expresserant (metr. 0,30 × 0,40) Fr. ALINARI, Florentiae, et *Vox Urbis* socii dono largitur in an. MCMII. (Cfr. huius commentarii operculum pag. 2).